Q. D. O. M. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

HAEMORRHOIDIBVS CAECIS

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE WESTPHALIAE ET RELIQVA

SVB PRAESIDIO

IOANNIS ADOLPHI WEDELII
PHILOS. ET MED. D. PRAXEOS ET CHIMIAE P. P. ORD.
SERENISSIMORVM SAXON. DVCVM CONSILIARII
ISENACENSIS AVLICI ET ARCHIATRI ET ACAD.
NATVR. CVRIOSOR. COLLEGAE

PATRONI PRAECEPTORIS ATQVE PROMOTORIS
OMNIS HONORIS CVLTV PROSEQVENDI

PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA
MORE MAIORVM RITE CONSEQVENDI
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMISSA

A

IOANNE DIELERO
ROEMHILDENSI

D. II. APRIL. ANN. M DCC XXXII.

IENAE LITTERIS RITTERIANIS.



I. N. I.

§. I.



Aemorrhoides cæcæ ſunt tumores circa extremitatem inteſtini recti hærentes, vel molles, vel duriores, cum vel ſine dolore & inflammatione, ab humoribus ibidem ſubſiſtentibus atque accumulatis, & diſtentionem vaſorum & pororum vitioſam præſtantibus, dependentes, & non raro alia mala poſt ſe trahentes.

§. II.

Vocantur autem hi tumores hæmorrhoides cæcæ, quia humores per vaſa hæmorrhoidalia copioſius quidem accedunt, exitum autem, vt in apertis, non inueniunt, ſed potius tumores hos faciunt. Differunt autem cæcæ hæmorrhoides a ſuppreſſis. Cæcæ enim fiunt, licet nullus hæmorrhoidum fluxus antea apparuerit. Suppreſſæ autem ſemper reſpiciunt fluxum antea factum vel inſtantem, ſed poſtmodum impeditum & cum noxa ceſſantem. Nec quoque cæcæ ſuppreſſas excipiunt ordinarie, ſed aliis potius in partibus ſanguis vitioſe retentus negotium faceſſit.

§. III.

Hærent hi tumores circa inteſtini recti extremitatem, & quidem paulo altius, ſi a vaſis hæmorrhoidalibus internis proueniant, propius vero circa inteſtini recti orificium, ſin ab externis vaſis dependeant. Molles hæmorrhoides cæcæ in limbo ani magis conſpiciuntur, magnitudinem lentis vel piſi minoris habentes, & inſtar veſicularum ſunt conſtitutæ, ſanguinem continentium, & eiusdem colorem transparentem oſtendentium. Hæ ideo a quibusdem *veſicales*, ab aliis *turgentes* vocantur. Plures tales ſi ſimul appareant, & proximius ſe fere contingant, cum aliquam ſimilitudinem vuæ, vel mori, exhibeant, vuæ vel mora quoque a quibusdam dicuntur. Duriores autem vel ſtatim intra ani limbum perſiſtunt, & digitis contingi valent, quæ ad externas adhuc pertinent; vel paulo altius in inteſtino recto ſedem habent, quod tamen rarius fit. Duriores hæ a quibusdam *tumentes* appellantur.

§. IV.

Dolorem veſicales vel nullum vel exiguum admodum habent. Tumentes quædam plane nullum dolorem oſtendunt, vel magis obſcurum, quandoque tunc tantum, quando aluus deponitur, ceteroquin abſens, eſt. In aliis maior doloris ſentitur gradus, licet nulla adſit inflammatio, quo grauior autem eſt, eo facilius inflammatio ſuperuenit. Inflammatio enim tumentibus tantum, turgentibus vero minime, competit, non autem omnibus, cuius rei exempla in praxi occurrunt plura, quam inflammationis iunctæ. Gradus quoque inflammationis hic diuerſus occurrit, vt ſit vel mitior vel grauior. Grauior ſi ſit, obſeruante celeberrimo *Stahlio*, inſtar veri furunculi ſe habent hæmorrhoides cæcæ.

§. V.

Quidam etiam huc referunt excreſcentias circa anum

anum emergentes, condylomata, mariſcas, ficus, thymum, & hæmorrhoides cæcas nothas, ſeu ſpurias, vocant, & aliquando effectus hæmorrhoidum, veſicalium inprimis, ſunt, ſi diutius durent, exulceratio acceſſerit, & verrucoſæ, aliæque, excreſcentiæ ita oriantur, quo intuitu id quoque fieri poſſet. Verum magis ſub ſuo nomine conſueto de his agitur, quæ tunc diſtingui a venereis poſſunt facile, vt & ſi ſerum acre ſcorbuticum viſcido immerſum, nec hæmorrhoidibus, nec lue venerea prægresſis, eisdem originem dederit, ſi omnes circumſtantias præſentes & prægreſſas examinemus, & ſigna eliciamus, ad hanc rem facientia.

§. VI.

Cum hæmorrhoides cæcæ tumores ſint, (§. 1.) tumor autem omnis á fibrarum vel diſtentione vel incremento fiat, hic autem, ſi incrementum fibrarum fiat vitioſum, non ad hæmorrhoides cæcas, ſed ad excreſcentias malum pertineat (§. 5.) neceſſe eſt, cauſam hæmorrhoidum cæcarum immediatam eſſe diſtentionem fibrarum, vaſa & poros formantium. Materiam ſeu obiectum diſtendens eſt vel maſſa ſanguinea vel ſerum, ex eadem ſecretum, nihil enim aliud ad has cauitates peruenit, ergo hi humores ſunt cauſa mediata proximior. Diſtentionem autem facere non poſſent, ſi non accumularentur in cauitatibus, nec accumulari poſſent, niſi ſubſiſterent ibidem, & adfluxus continuaret, adeoque concurrit harum cauitatum obſtructio.

§. VII.

Cauitates autem, quæ in hæmorrhoidibus cæcis obſtruuntur & diſtenduntur, ſunt vel pori vel vaſa. Pori magis afficiuntur in mollibus ſeu turgentibus dictis, & duris vel plane non, vel leuiter, dolentibus; vaſa autem, & quidem arterioſa, in grauiter dolentibus, & ad inflammationem accedentibus. Turgentes vel molles hæmorrhoi-

morrhoides cæcas vaſa diſtenta non eſſe, ſed potius cuticulam eleuatam & diſtenſam, plura oſtendunt. Nam ex arteriolarum extremitatibus ſanguis adeo prompte in venulas reſpondentes redire non valens, oſcula vtrisque vaſis interpoſita, ſero tantum alias tranſitum ſucceſſiuum præbentia, penetrat, & in poros ſub cuticula hærentes abit, eosque replendo & diſtendendo cuticulam eleuat, talesque veſiculas facit. Summe enim exigua vaſcula arterioſa in tantum expandi haud queunt, vt eiusmodi veſiculæ inde formentur, quin potius rumperentur, & ideo quoque multi venis id tribuunt, quod hanc dilatationem ſubierint, cui tamen rei itidem ſumma exiguitas obſtat. Et, ſi venula dilatata eſſet eiusmodi veſicula, fieri haud poſſet, vt, quando ad extra aperta, effuſusque ſanguis, eſt, flaccida & rugoſa reſtet, & papulas quaſi formet, quod tamen fieri obſeruationes docent. Nam venulæ ſine intermisſione ſanguinem ex arteriolis reſpondentibus recipiunt, qui diſtentionem ſtatim repeteret, vt flaccida & rugoſa veſicula euadere haud valeret; inprimis quia apertio veſiculæ, per quam ſanguis ad extra effunditur, exigua eſſe conſueuit, vt per ſe non facile dimittat ſanguinem, ſed ordinarie ſub alui depoſitione, ob presſionem tunc euenientem contingat. Maior vero apertura veſiculæ inducta ſi ſit, ſine intermisſione effluxus ſanguinis fieret maior, quod tamen minime deprehenditur. Sequitur itaque, vt veſiculæ hæ, ſeu hæmorrhoides turgentes dictæ, non ſint vaſa ſanguifera diſtenta, ſed tantum cuticula a ſanguine accedente, hac forma, eleuata.

§. VIII.

Duræ hæmorrhoides cæcæ, vel plane non, vel leuiter, dolentes, non omnino vaſis ſanguiferis ad duritiem repletis tribui recte poſſunt, cum horum vaſorum, ad duritiem repletorum, effectus ſemper ſit dolor & calor, imo in grauiori ſtatu ipſa inflammatio. Adeoque potius

potius poris, vel glandularum spuriarum, vel fibrarum intestini recti a sero lento, viscido, ibidem subsistente & accumulato, & sic distendente, debentur. Magis autem dolentes, & inprimis inflammationem coniunctam habentes, omnes a stasi sanguinis, in arteriolis facta, ortum habent, cum aliæ cauitates non adsint, in quibus id queat fieri.

§. IX.

Obstructio, in dictis cauitatibus (§. 6.) eueniens, debetur vel ipsi fluido subsistenti, vel viis vitiatis. Ipsum fluidum in culpa est, si peccet vel quantitate vel qualitate vel motu. Viæ autem hanc inuitant, si circa exitum strictiores reddantur, vel alia remora præsto sit. Humorum autem vitium in his semper coniunctum est, sine quo numquam hæmorrhoides cæcæ, imo nec reliquæ, apparent.

§. X.

In turgentibus, seu mollibus, ipse sanguis motu peccat, non enim ex arteriolis in venulas rite pergit, sed per oscula, quæ sero tantum destinata sunt, ad poros laudatos fertur, cumque hic viæ aptæ non sint, per quas redire queat, & accessus continuetur, tamdiu accumulatur, quamdiu tensæ pororum fibræ, ipsaque cuticula, cedere & repleri valent, & ita fiunt vesiculæ. Quomodo autem sanguis per oscula penetret, & sic vitiatum motum per viam sibi non destinatam suscipiat, breuius expediri posset, si cum quibusdam dicamus, restrictionem hanc sanguinis versus hæc loca fieri ab anima, cum plethoram imminuere intentet. Cum vero anima hunc nostrorum humorum statum neque sciat, neque in potestate sua id habeat, vt humores ad peculiarem partem pro lubitu restringere, & fictæ intentioni satisfacere, queat, aliis hanc sententiam relinquimus. Fit autem penetratio hæc ab osculorum præternaturali apertione. Oscula enim hæc sero, successi-

ue

ue ſecernendo & difflando, deſtinata ſunt, minime autem, vt globulos ſanguinis transmittant, ergo tranſire ſanguis hic non poteſt, niſi reſerentur. Reſeratio autem vel dilatatio eorum prouenit partim a debilitate fibrarum ea conſtituentium, partim a preſſione ſanguinis in hæc oſcula maiore. Ab illa enim facilius cedunt, ab hac autem ſuperantur, vt cogantur cedere.

§. XI.

Debilitas in his eſt vel ab intemperie humida harum fibrarum, ſi ſerum lentum, minus acre ibidem adſit, vel a tenſione maiore per alia externa facta, vt in equitatione, in fecum duriorum cum maiore niſu expulſione, maiore conatu in partu difficili, imo ab ipſa preſſione ſanguinis ſæpius repetita & continuata, vnde reſiſtendi vis ipſarum debilior redditur.

§. XII.

Preſſio ſanguinis maior fit tam per repletionem vaſorum maiorem, quam per impulſum fortiorem. Illa debetur vel plethoræ, quæ tamen non ſemper, ſed raro, in his adeſt, vel obſtructioni viſcerum, depurationi ſanguinis inſeruientium, ſi ſanguis craſſior & viſcidior ſit, & circa vaſa hæc tardiorem, quam par eſt, habent tranſitum. Impulſus ordinarius ob repletionem horum vaſorum fortior eſſe ſolet, dum enim pergere prompte haud poteſt, ſanguis tamen impellitur, magis premit hæc oſcula.

§. XIII.

Hæmorrhoides cæcæ duriores, & vel plane non, vel parum dolentes, cum a ſero lento viſcido, in glandulis ſpuriis & poris fibrarum inteſtini recti ſubſiſtente & accumulato, proueniant, (§. 8.) neceſſe eſt, vt maior partium pituitoſarum quantitas in maſſa ſanguinea hæreat, quæ, quamdiu ſanguini commiſtæ ſunt, fluorem adhuc obtinent, vt ſecerni hic poſſint. Si itaque cauitatibus

his

his adhærefcant, quod facillime faciunt, & fequentes, hucque accedentes, easdem foluere & promouere non valeant, quia ipfæ faturatæ iamdum funt, fucceffiue imprimuntur & impelluntur, vt ita pedetentim vifcidiores fiant, accumulentur, repleant, & diftendant, & fic tumores hos faciant. Quodfi fibræ nerueæ inde nimis tendantur, vel falia vifcido immerfa fint, quæ, ob quietem humoris impacti, paulatim euoluntur, etiam aliqualis dolor emergit, vt &, fi a fæcibus prætereuntibus, inprimis durioribus, vel alias, tumores hi premantur.

§. XIV.

Magis dolentes & facile inflammationem adfcifcentes, vel iam inflammatæ cum ftafi fanguinis in arteriolis hæmorrhoidalibus debeantur (§. 8.) ftafeos huius caufæ attendendæ funt. Stafis oritur inprimis ob fanguinis vitium, deinde etiam vaforum culpam. Sanguis in toto fi abundet, vt aliis ftafibus, ita etiam huic anfam præbet, adeoque plethora id facit, non tamen femper, poteft enim citra hanc fieri. Nec plethora in hoc ftatu pura occurrit, fed potius biliofa & cacochymica fimul, & tam partes tartareæ, quam pituitofæ, aliæque funt coniunctæ. Acrimonia fanguinis biliofa, fcorbutica, tartarea, præ aliis huc facit, vt & fpiffitudo eiusdem, & habilitas ad coagulum. Illa enim, fibrillas nerueas arteriolarum morficando, circa extremitates vaforum crifpaturam & anguftiam infert, hæc autem infarcit tubulos minimos, vt tranfitus debitus impediatur. Vafa in culpa funt, fi a quacunque caufa coarctentur, vt fanguini tranfitus reddatur difficilior. Ita attritus ab equitatione incommoda, fcalptus ob pruritum, bilis acrioris acceffus, preffiones, nifus, & fimilia, huc faciunt. Variare hæc ftafis etiam maxime folet pro diuerfa fanguinis conditione reliqua, vt vel mitior, vel grauior, vel grauiffima, inde confurgat.

§. XV.

Ad hæc omnia autem vel disponunt, vel in actum deducenda concurrunt, causæ reliquæ mediatæ remotiores. Temperamentum pituitosum magis ad non, vel parum, dolentes, sanguineo pituitosum vel sanguineo melancholicum ad molles, seu turgentes, biliosum & atrabilarium magis ad vehementius dolentes, & inflammatas, habile est, & reliquæ varietates hic quoque effectum conformem exhibent.

§. XVI.

Aetas adulta magis ita adficitur, vbi humores & spissiores & acriores, quam in minori, esse solent. In vtroque sexu occurrunt hæmorrhoides cæcæ, & in feminis grauidis vltimis mensibus, vt & post partum, apparent turgentes, aliquando & dolentes, si reliquæ causæ adsint. Ibi ob compressionem vasorum a fetu, hic ob nisum & tensionem maiorem. Hereditaria dispositio suum quoque confert symbolum, humorum vitio ita etiam propagato.

§. XVII.

Aer nimis calidus acrimoniam actiuiorem reddendo, humidum nimis dissipando; frigidus transspirationem impediendo, spissitudinem augendo, fibras crispando, inuitare eas potest facile, maxime, si parti adfectæ frigus improuide admittatur. Alimenta nimis copiosa, lenta, viscida, fumo indurata, aromata, spirituosa, aliaque calidiora, sæpius & frequentius adsumta, vel pituitam, vel tartarum, vel partes biliosas, acres, aliasque, augendo haud parum efficiunt, & inprimis, si iamdum tales partes in sanguine exuperent, pro quarum diuersitate, diuersoque vsu, etiam hæc, vel alia, species hæmorrhoidum cæcarum sequitur.

§. XVIII.

Nimis deficiens motus viscidas lentas, tartareas & coagu-

coagutabiles, ſanguinis partes auget, dum ſeparationem & ſecretionem ſubire ſic haud poſſunt. Nimius motus, intempeſtiue ſuſceptus, partes bilioſas acres acuit, ſerumque diſſipat, & dolentibus inprimis occaſionem exhibet. Animi pathemata concentrantia acidas, tartareas & fixiores, partes maſſæ ſanguineæ augent, vt mœror diuturnior, curæ continuatæ; exagitantia autem bilem, & acrimoniam alcalicam, exagitant, vnde cæcis hæmorrhoidibus occaſionem dant. Aluus durior & ſiccior, niſusque in excernendo maior, & quidem ob fæces vel duriores vel acriores; purgantia acriora ex aloe, ſcammonio, colocynthide, helleboro, & ſimilia, inconcinne adhibita, & frequentius quam par eſt, vt in diſpoſitis fluentes excitant, ita in ſiccioribus, & reliquis conditionibus præſentibus, etiam cæcis acceſſum parant.

§. XIX.

Ex præternaturalibus cauſis præcipua eſt adfectus hypochondriacus, & ſcorbutus, grauior illius gradus. Omnes enim, qui generatim hæmorrhoidibus adficiuntur, & hoc loco cæcis, ſunt vel hypochondriaci vel ſcorbutici. In his enim, ob depurationem ſanguinis, haud rite ſuccedentem, tam partes lentæ, viſcidæ, pituitoſæ, magis vel minus ſalinæ, & acres, illis immerſæ, emergunt & accumulantur diuerſimode in maſſa ſanguinea, & non ſolum alios morbos, verum etiam hunc, excludunt, prout proportio harum partium variat. Facile igitur intelligere licet, cur alii adfectus, vt arthritis, podagra, malum iſchiadicum, calculus &c. conſpirent cum hæmorrhoidibus, tam aliis, quam cæcis, & mutatione proportionis a quacunque cauſa facta, alium adfectum conſurgere, vel hunc hæmorrhoides poſt ſe trahere. Cacochymia itaque vel melancholica, vel bilioſa, vel pituitoſa, & ex his compoſita, ſemper vna adeſt.

§. XX.

Plethora, vt ſuperius iam monuimus, aliquando iuncta videtur, rarius tamen, quam quidam exiſtimant, &, ſi adeſt, cacochymica, adeoque ſpuria magis, deprehenditur. Obſtructio viſcerum, cum fundamentum ſit adfectus hypochondriaci & ſcorbuti, numquam abeſt in noſtro malo. Igitur, ſi anima rationalis rite velit auertere mala hæc, præſentia & futura, non tam plethoræ imminutionem, quam, potius ſanguinis depurationem, & obſtructionis viſcerum extricationem reſpicere deberet. Sed hæc corporis ſua mala, interius hærentia, niſi aliunde diſceret, neſcit, &, ſi omnino omnium harum rerum ſcientiam per rationem & experientiam multo labore acquiſiuerit, nullum tamen eiusmodi motum interius inſtituere & determinare valet, vt mala hæc cedant, nec quoque ſolus motus ſufficit, ſed alia proportio humoribus vitiatis, ratione particularum conſtituentium, vna procuranda eſt, quo neglecto omnia molimina ſunt fruſtranea.

§. XXI.

Differentia hæmorrhoidum cæcarum ex dictis iam conſtat, turgentes enim vel veſiculares, deinde tumentes ſeu duriores, & quidem hæ vel cum inflammatione, vel ſine eadem, occurrere, & harum quoque, ratione gradus inflammationis, & doloris, varietatem apparere, retulimus.

§. XXII.

Cognoſci hæmorrhoides cæcæ præſentes facile poſſunt, ſenſibus enim, exterius, prope limbum hærentes, tam ægri quam aliorum pateſcunt, vt vel videri vel tangi queant. Si autem interna vaſa hæmorrhoidalia, ab orificio ani paulisper remota, ita adfecta ſint, quod tamen rarius contingere ſolet, ex dolore tum alias tum, ſi fæces ad exitum pergant, vbi magis exquiſitus redditur, deprehendi poteſt. Reliquarum autem conditiones

tiones, ſenſibus explorandæ, ex iam recenſitis diiudicandæ ſunt. His ſi iungamus cauſas, prægreſſas & præſentes manifeſtas, quas quæſtione concinna diſcimus, eo magis omnia conſtant. Nec quoque recte attendentem medicum fallere facile poſſunt excreſcentiæ, circa hæc loca occurrentes, vt pro hæmorrhoidibus cæcis habeat. Nam vel prægreſſæ ſunt hæmorrhoides, inprimis turgentes, & tunc harum effectum eſſe, vna deprehenditur, vel luis venereæ indicia adſunt, & ſic quoque, cauſa nota, effectus manifeſtus eſt, vel nihil horum præcedens innuit, ſerum ſcorbuticum viſcido immerſum in culpa eſſe, maxime autem fibrarum incrementum id teſtatur, quod haud raro magnitudinem maiorem exhibet, quam hæmorrhoides cæcæ ſubire poſſunt.

§. XXIII.

Futurus hæmorrhoidum cæcarum ſtatus, ratione vitæ & mortis, raro periculoſus, ſæpiſſime ſine vllo damno, eſt. Turgentes inprimis mitiſſimæ ſunt, nec fere moleſtiam creant maiorem, quam pruritum, & ſenſum nuclei ibidem hærentis, &, ſi non inepte tractentur, nihil mali adferunt. Duriores, vel non vel vix dolentes, vitæ quoque haud inſidiantur, nec a magis dolentibus eiusdem periculum timendum eſt facile, niſi inflammatio iuncta vehementior id inferat, potiſſimum, ſi ad gangrænam rebellem abeat, mors enim tunc non raro ſuperuenit. Eo certius autem hoc fit, ſi internæ hæmorrhoides ita ſint adfectæ, nec maturum auxilium attulerint remedia.

§. XIV.

Duratio cæcarum hæmorrhoidum pro cauſæ vel mitioris, vel rebellioris, diuerſitate variat. Haud raro, ſi mature apta medicamenta adhibeantur, breui iterum diſparent, & per interualla, minus tamen certa, redeunt, verno vel autumnali autem tempore magis

 conſpi-

conſpiciuntur. In nonnullis diutius perſiſtunt, maxime neglectæ, & diæta vitioſa adhibita, vel continuata. Periculum minantes, inſtar inflammationum, breui vel necant, vel ad meliorem frugem redeunt.

§. XXV.

Modus euentus in turgentibus ita ſe habet, vt veſicula vel ſponte a vel ſcalptu ob pruritum coniunctum, vel per artem, aperiatur. Sponte id fit, repletione continuata facta, & cuticula tandem rupta, potiſſimum niſu in alui deiectione concurrente. Scalptus a pruritu inuitatur. Sanguis enim extrauaſatus hic hærens acrior fit, & fibrillas nerueas vellicat, adeoque pruritum excitat. Teneriore itaque facta cuticula per tenſionem, ruptio eſt facilis. Arte autem apertio fit vel ſectione prouida, quæ, cum cuticulam eleuatam tantum penetrare debeat, nec doloroſa eſt, nec aliam difficultatem parit, vel hirundinum, mediante cucurbitula, applicatione. Effluxu facto veſicula, obſeruante celeberrimo *Stahlio* flaccida & rugoſa euadit, & papulas quaſi format, quæ, ſanguine minus acriori ſed temperatiori exiſtente, aliquando per niſum, in alui excretione, maiorem factum denuo ſanguinem ſtillant. Oſculis enim vaſorum ob ſuperius dictas cauſas, reſeratis, ſanguis hic accedens exitum inuenit, quibus cauſis permanentibus etiam diu per interualla continuare poteſt hic fluxus. Imo cum hæ conditiones oſtendant, ſanguinis talem adeſſe, vel accedere, diſpoſitionem, vt oſcula hæc reſerare ſine moleſtia queat, patet etiam ratio, cur ad internas hæmorrhoides, recte fluentes, tranſitus ab hoc ſtatu nonnumquam fiat, inprimis quia internæ ad apertionem ordinatam magis habiles obſeruantur. Quodſi autem ſanguis ſerum ſalſum, & exulcerationi excitandæ aptum, contineat, papulæ, iam commemoratæ, in vlcuſcula ſuperficialia, pru-

ritu molesta mutantur, quod frequentius fieri, idem celeberr. notauit *Stahlius*, quæ prurigines serpiginosas vocauit: Vlcuscula talia pertinaciora sunt, & sæpe continuant, vel, cessantes, per interualla redeunt. Eadem quandoque, si serum præter acrimoniam copiosius admixtum habeat viscidum, excrescentiis hæmorrhoidalibus initium præbent.

§. XXVI.

Vel plane non, vel parum, dolentes hæmorrhoides cæcæ duriores ordinarie discussione vel resolutione, finiuntur, rarissime penitus indurantur & scirrhescunt. Magis dolentes vel itidem discutiuntur, vel ad inflammationem abeunt, inprimis, si vel negligantur, vel male tractentur. Inflammationem coniunctam habentes sæpius discutiuntur, modo matura curatio accedat. Aliquando & spuria adest inflammatio, si sanguis stasin concipiens talem habeat texturam, qualis in arthritide vaga scorbutica occurrit, & tunc quoque discussione finitur, licet dolor satis grauis inde excitetur. Neglecta autem inflammatio genuina, & grauior reddita, vel ad suppurationem, vel ad gangrænam, pergit. Ad suppurationem tendens etiam ad fistulas ani abit, maxime, si vel nimis matura incisio contingat, pure nondum præsente, vel si minis tarda eueniat, & pus diutius relinquatur, quam par est. Ibi enim læsio augetur, stasi iuncta & corruptione maiore subsequa, hic autem pus mora redditur acrius, & mundificatio decens & necessaria differtur.

§. XXVII.

Cum hæmorrhoides cæcæ a distentione fibrarum, vasa & poros formantium, præternaturali dependeant, hæc autem a sanguine vel sero, ibidem subsistentibus & accumulatis, ob cauitatum dictarum obstructionem, proueniat (§. 6.) & hæc obstructio partim ab humorum dictorum vel quantitate, vel qualitate, vel motu,

vitiatis

vitiatis, partim ab ipſarum viarum impedimento oriatur (§. 9.), ſequitur, vt in curandis illis & humorum, & viarum, vitia emendanda, fibræ autem adfectæ demulcendæ, & ſibi reſtituendæ, veniant. Ita enim obſtructio illa expediri, & diſtentio remoueri poteſt.

§. XXVIII.

In turgentibus hæmorrhoidibus cæcis, cum ſanguis in veſicula hærens motu peccet, & extrauaſatus ſit, nec redire queat, (§. 10.) educi debet, alias enim, diutius ibi hærens, ichoreſcit. Sponte itaque niſi fiat, vel caſu ob ſcalptum ægri, eiusdem exitus, arte præſtandus eſt. Quidam hirudines eligunt ad hanc rem, cucurbitula incluſas, quod quidem fieri poteſt, ſi mature id fiat, nec ſanguis ibi hærens ad ichoreſcentiam quodammodo iam tendat. Hoc enim ſi ſit, haud ſugunt hæc animalcula. Promptior apertio meliorque fit lancetta, cum indolens ſit cuticula, quæ ſola tunc perforanda eſt, reliquæ autem fibræ intactæ relinqui debent. Sunt etiam qui frictione vtuntur, vt reſerentur hæmorrhoides, vel cum panno aſpero, vel foliis plantarum ſimilibus v. g. ficus, parietariæ, borraginis, cum vel ſine ſucco ceparum, in quo aloe eſt ſoluta. Nobis autem hic modus haud probatur, cum dolor, in his abſens, ſic excitetur facile, & inflammationi occaſio dari queat. Melius adhuc agunt, qui emollientibus & demulcentibus, vt cuticula attenuetur, apertionem ſpontaneam promouere intendunt, quibus tamen in his carere poſſumus.

§. XXIX.

Cum autem ſanguis hic hærens facillime ichoreſcat, fibrillasque rodat, & papulæ, corrugatione cuticulæ, depletæ, in vlcuſcula moleſta facile abeant (§. 25.) mundificatio & conſolidatio eſt neceſſaria, quæ balſamicis recte obtinetur. Laudatur hoc nomine eſſ. ſuccini, myrrhæ,

myrrhæ, hyperici, balſ. Peruuiani, ol. philoſophor. terebinth. ol. ouor. rec. liquor myrrhæ & ſimilia, quæ facile ſibi arte combinari, & variari, poſſunt. Ardor, ab eſſentiis balſamicis inductus, ſuperficiarius eſt, breui tranſit, nec quicquam mali poſt ſe trahit. Applicari hæc poſſunt cum linteo carpto vel bombace.

§. XXX.

Solis autem externis hoc expedire negotium, conſultum non eſt, ſed apertio oſculorum præternaturalis (§. 10.) vna corrigenda erit. Hæc corrigitur, ſi vitia tam ſanguinis, quam fibrarum, oſcula conſtituentium, emendemus. Quantitas igitur ſanguinis maior ſi adſit (§. 11.) venæ ſectio ſuccurrit, alias vero, plethora non præſente, omitti debet. Viſcerum autem ſanguinem depurantium obſtructio ſi eandem foueat, (§. 10.) hæc expedienda venit per aperientia blanda, ſanguinem craſſiorem & viſcidiorem recte incidentia, & blande reſoluentia, & diluentia, fibras autem viſcerum roborantia, ſic enim preſſio illa maior in hæc oſcula, & hinc horum apertio p. n. emendatur, circulo ſanguinis emendato, vnde vel plane tollitur malum absque vllo damno, ſecretione in ſingulis viſceribus decenter reſtituta, vel ad internarum hæmorrhoidum apertionem, minus moleſtam, abundantia ſanguinis aliquali concurrente, fit tranſitus, fibrarum autem robur iisdem reſtauratur aperientibus, quæ inferius recenſebimus.

§. XXXI.

Quodſi autem, neglecta tali conſolidatione, papulæ, ex veſicula tali ortæ, ſine moleſtia aliisque malis ſuperuenientibus, ſanguinem per interualla fundere pergant, impediendus hic fluxus per adſtringentia, vel alia inconcinna remedia, non eſt; nec externa tunc ſunt vſurpanda remedia, quia, ſanguine temperatiore exiſtente, ſeroque ſalſo exulcerante abſente, nec vl-

cera, nec alia, timenda ſunt. Vti autem, magis ad frugem redeunte maſſa ſanguinea, ad internas, commode fluentes, fieri ſolet conuerſio, ita hæc ipſa, per eadem medicamenta aperientia blanda & temperata maxime promouetur, imo, ſi plenaria adhuc obtineri poſſit viſcerum & ſanguinis reſtitutio, perfectior adhuc redit ſanitas, omnibus viſceribus munera ſua rite præſtantibus.

§. XXXII.

In hæmorrhoidibus cæcis durioribus, ſeu tumentibus, vt ab aliis vocantur, nullum, vel admodum exiguum, dolorem habentibus, cum ſerum lentum viſcidum in poris vel glandularum ſpuriarum, vel fibrarum inteſtini recti, ſubſiſtens & accumulatum diſtentionem, adeoque tumores hos, faciat, (§. 8. 13.) hoc corrigendum & educendum, cauitatesque laudatæ expediri, & fibræ roborari debent.

§. XXXIII.

Corrigunt ſerum ita conſtitutum generatim aperientia, maxime autem vna incidentia & reſoluentia, vt fluxile & tenue iterum redditum, tum ex tota maſſa ſanguinea ſecerni & excerni queat, cum ex his cauitatibus, vbi ſubſiſtit, extricetur. Talia ſunt inprimis ſalia media, arcanum duplicatum, tartarus vitriolatus, nitrum antimoniatnm, tartarus reſolutus, nitrum ipſum, his & reliquis mixtum, arcanum tartari, aliaque, eſſentiæ & tincturæ alcalicæ tartari, antimonii, aperientia vegetabilia, magis vel minus ſimul aromatica, quæ pro reliquarum circumſtantiarum præſentium conditione apte tum ſibi inuicem, tum aliis combinari debent, nam & cinnabarina & ſuccinata & martialia ipſa ſelecta huc pertinent, quæ omnibus fere communia ſunt, modo debitus inſtituatur ſelectus. Hæc ipſa autem fibras vna roborant. Educunt ſerum hoc & corrigunt etiam purgantia, laudatis conuenienter interpoſita, fluxiles

enim

enim partes per ante dicta redditæ, nec ſponte ſufficienter ſecedentes, ita exturbantur, melioresque reſtaurantur. Purgantia autem mitiora etiam hic ſeligi debent, vt rhabarbarum, folia ſennæ,& ſimilia, omiſſis acrioribus & irritationem maiorem præſtantibus. Cedere hæ ſolent hæmorrhoides cæcæ, ſolis internis adhibitis, & vix opus habent externis aliis remediis.

§. XXXIV.

Hæmorrhoides cæcæ magis dolentes, & inflammationem facile adſciſcentes, vel iam inflammatæ, cum a ſtaſi ſanguinis dependeant, (§. 8.) ſtaſis expedienda erit, hæc autem cum vel a ſanguinis, vel viarum, vitio proueniat, (§. 14.) hoc correcto, illa deſinit. Ergo ſanguinis & abundantia nimia,& acrimonia bilioſa,ſcorbutica,tartarea, & ſpiſſitudo, vaſorum autem coarctatio vitioſa, emendari debet. Correctionem hanc ſi mature obtineamus, per diſcuſſionem ſtaſis tollitur,ſin autem eadem tardius inſtituatur, vel rebellior ſtaſis ſit, per ſuppurationem finitur, ſi ſalutarem adhuc euentum admittat.

§. XXXV.

Sanguinis itaque quantitas nimia ſi adſit, ſeu plethora, venæ ſectio conuenit vel in bracchio, vel pede, adminiſtrata, prout reliquæ circumſtantiæ id poſtulant. Mature autem id faciendum eſt, ſi deſideratum effectum obtinere velimus. Abſente autem hac cauſa, remedium quoque hoc omittere conſultum eſt.

§. XXXVI.

Sanguinis acrimoniam bilioſam ac reliquam,& ſpiſſitudinem, corrigunt interne, *temperando, blande reſoluendo,& difflando,diaphoretica temperatiora* fixa & media, vt eſſ. ſcordii, lignorum, pimpinellæ albæ, vincetoxici, mixturæ bezoardicæ temperatæ, antimon. diaphoret. antimon. martial. cachecticum: *abſorbendo & reſoluendo*, terrea, ſalia blanda inſinu ſuo habentia, vt inprimis lapides cancrorum, conchæ præparat. &c. *figendo, temperando*

& resoluendo, salia media, arcanum duplicat. nitrum vitriolat. ipsumque nitrum depuratum, arcanum tartari; *obtundendo & resoluendo, sulphurea blanda,* vt cinnabaris natiua, antimonii, succinum album præparatum, essentia succini, semen lycopodii, opiata ipsa, refracte reliquis mixta, vt omnia, modo recensita, variis modis sibi recte combinari possunt, vt remedium præsenti statui conueniens habeatur. Eidem fini inseruiunt *diluendo, resoluendo & temperando,* decoctum pugillare, instar herbæ Thee, ex millefolio, quod specificum hic est, emulsiones, decoctum hordei, auenaceum, nitro aliisque iunctis. *Euacuando* partes acres biliosas id obtinemus per *lenientia* & purgantia blandissima, inprimis aluo obstructa, ex quibus rhabarb. præ omnibus commodum est, & sal Sedlitzense vel simile, quod acrimoniam biliosam vna temperat. Fortiora autem purgantia, & acria, vt helleborata, scammoniata & colocynthiaca prorsus vitari tunc debent; imo nec aloetica hoc tempore vtilia sunt.

§. XXXVII.

Mitiori dolore præsente, interna dicta sola sæpe sufficiunt, & viarum vitio vna succurrunt, ne transitum impediant, modo mature adhibeantur. Grauiore autem dolore præsente & magis aucto, externe etiam adhibenda sunt, quæ acrimoniam temperant, fibrillas tensas & vellicatas demulcent, sanguinem subsistentem resoluunt, & vias, vt reditum concedant sanguini, laxiores reddunt, adeoque discussionem promouent. Temperant acrimoniam, fibrillasque demulcent, viasque ad reditum aptant, blanda sulphurea, emollientia, oleosa temperata, vt rad. alth. malu. lil. alb. herb. alth. malu. parietariæ, verbasci, flores meliloti, verbasci, papaueris rhoeados, sem. lini, fœn. græc. &c. lac, vitellum ouorum, olea temperata, oleum ouorum, semin. hyosc. papaueris, nucum, lini, rapistri, amygdal. dulc. express. butyrum recens non salitum. Resoluunt & discutiunt

salino

ſalino ſulphurea blanda, radix ſcrophular. fabariæ, cynogloſſ. chelidon. min. ir. flor. bryon. ſigill. Salomonis, vincetoxic. apii, herb. linar. parid. ſcord. verben. verbaſc. beton. millefolii, matricariæ, cerefolii, hyoſc. agrimon. portulac. ſambuc. flores chamomillæ, ſambuc. anthos, crocus, baccæ, paridis, poma momordicæ, aſelli, ſcarabæi, mures marini, myrobalan. citrin. maſtix, thus, camphora &c.

§. XXXVIII.

Ex his ſeligenda & componenda ſunt medicamenta externa, variaque forma applicanda, vbi magis vel minus compoſita habentur. Fotus forma adhibentur vegetabilia inprimis, cum lacte cocta, quidam etiam aquam ſumunt, lac vero melius eſt, vel ſimplex vel chalybeatum, & quidem vel ſacculis includuntur, vel linteis multiplicatis liquor excipitur, & imponitur, expreſſione prægreſſa. Hoc modo adhibetur vel ſola herba linariæ, vel verbaſci, vel flores chamomillæ, vel alia, coniunguntur, vt herb. linar. c. flor. ſambuc. verbaſc. ſemin. lin. fœn. gr. vel flor. verbaſc. cum ſemin. hyoſcyami, fol. ſambuc. vel iidem flores cum furfuribus triticeis, vel præſcribuntur ſpecies ex radic. fol. flor. & aliis pro ſacculis. v. g. ℞. rad. ſcrophular. teleph. cynogloſſ. alth. a. ℥iij. herb. linar. c. tot. m. ij. verbaſc. parid. millefol. hyoſcyam. a. Mß. flor. ſambuc. verbaſc. pap. rh. a. pii. thur. gummi anim. a ʒij. M. quæ præſcriptio multis modis variari poteſt.

§. XXXIX.

Olei forma vel ſolum oleum ouorum rec. parat. vel per ſe, vel in mortario plumbeo agitatum, cum vel ſine ol. lil. alb. vel papaueris, ſaccharo ſaturni, tantillo camphoræ addito, adhiberi poteſt, linteolum vel bombacem illinendo & imponendo. Eodem modo oleum buxi adhibitum laudatur, vt & oleum vel commune, vel lini, vel amygdalorum dulcium, vel rapiſtri, vel nucum &c. infuſum floribus verbaſci, vel liliorum alborum, vel hy-

perici, vel baccis paridis, vel pomis momordicæ, vel radici ſcrophulariæ, vel aſellis, vel ſcarabæis. Ex vnguentis maxime laudatur vngu. de linaria, quod a quibusdam reiicitur, ſed forſan non ſatis mature adhibitum, vel rancidum redditum, vel non rite paratum, vitellum ouorum, vel ol. ouorum recens applicationis tempore, monente *Cheſneau in obſeru.* melius additur, ne rancida hæc reddita demulcendi vim amiſerint. Alia quoque vnguenta ex linaria, radice ſcrophulariæ cum butyro recenti lento igne liquando & colando, ac tandem addendo ol. ouorum ſachar. ſaturn. &c. fiunt. Commodum quoque vnguentum fit ex cepis ſub cineribus coctis, theriacæ Andromachi conuenientem quantitatem miſcendo. Vnguenta hæc itidem mediante linteolo vel bombace apponi poſſunt. Tacemus folia ſambuci vel chelidon. minoris, vel ſedi minoris, contuſa applicata.

§. XL.

Suffitus forma maxime laudantur mures marini dicti, mature tamen adhiberi debet. Fieri quoque ſuffitus commodus poteſt ex floribus verbaſci, thure, maſtiche, gummi animæ, florib. anthos, ſtœchad. Arab. &c. Non minus huc referri poſſunt ſuffitus vaporoſi, quando ex iis, quæ fotibus & ſacculis alias inſeruiunt, decoctum cum aqua fit, v. g. fol. verbaſc. linar. ſambuc. ſem. lin. fœni græc. &c. & liquor lateribus calefactis adfunditur, & in ſella perforata vapor ad anum admittitur, eodem modo vt in ſuffitu. Amuletum efficax eſt radix ſabariæ recens, in ſacculo linteo dorſo appenſa, quorſum etiam quidam referunt pomum cardui, in pera geſtatum.

§. XLI.

His ſi diſcuſſio, vel ob neglectum prius, vel grauius, malum, haud obtineatur, & ad ſuppurationem res vergat, ea promouenda eſt. Fotus itaque ex emollientibus & reſoluentibus cum lacte & tantillo camphoræ continuandi ſunt, nec minus in internorum remediorum

rum dictorum vſu pergere debemus. Facta ſuppuratione, niſi ſponte mature rumpatur abſceſſus, apertio eſt neceſſaria, quæ, præſente pure, differenda non eſt, nec prius, quam ſuppuratione peracta,eſt inſtituenda. Per ſe autem patet, quod profundior inciſio, quam ad cauitatem pus continentem, inutilis & noxia ſit, adeoque rite adminiſtranda eſt, vt exitus puri decens concedatur.

§. XLII.

Eductione facta, mundificatio abſtergentibus & balſamicis fotibus, eſſentiis, linimentis & balſamis præſtanda, & tandem conſolidatio promouenda, eſt, vbi eſſ. ſuccini, myrrhæ, hyperici, balſamum de Copayua, mel, liquor myrrhæ, oleum ouorum populneum, philoſophorum, papyri, & ſimilia, conueniunt, vt ex vlcerum doctrina huc repeti poteſt. Fiſtula ſi ſuccedat, ſectio optima eſt matura, præ acrioribus, & abſumentibus, applicatis, balſamicis poſtmodum conſolidanda.

§. XLIII.

Quidam, loco diſcuſſionis hæmorrhoidum cæcarum, apertionem earum promouendam eſſe, putant, & non ſolum aloetica, myrrhata, ſalina volatilia acria, vt & purgantia acriora, verum etiam frictionem hæmorrhoidum cum panno aſpero aliisque, vt & ſucci ceparum, in quo aloe ſoluta eſt, & ſuppoſitoriorum acriorum, applicationem, proponunt, vel ſanguiſugas adhibendas ſuadent. Verum illa acriora & dolorem augent, & inflammationem nondum præſentem inuitant, præſentem autem vehementiorem reddunt, & tamen apertio nulla ſequitur. Sanguiſugæ, tumentibus hæmorrhoidibus applicatæ, ne ſugunt quidem,&, ſi ſugerent, ſtaſis, ob vulnuſculum inflictum, augeretur, vt & dolor. Ergo hæc minus probare poſſumus.

§. XLIV.

Præſeruatio hæmorrhoidum cæcarum, cum eædem ab obſtructione viſcerum, malo hypochondriaco & ſcorbuto foueantur (§. 19.), optime per aperientia, anthypochondriaca, & antiſcorbutica, non omiſſis euacuantibus, pro cuiusque indiuidui temperamento, ætate, reliquisque conditionibus ſelecta & determinata, & inpris

inprimis verno & autumnali tempore adhibita, obtineri poteſt. Si plethora præſens, non autem falſo putata, adſit, etiam venæ ſectionem adhibere, conuenit, ſed eandem, cæco ductu, absque indicante præſente, aliquoties per annum adminiſtrari debere, artis rationalis regulis contrarium eſſe, omnibus, rem recte conſiderantibus, manifeſtum eſt. De hirudinibus, hac intentione applicandis placet acutiſſimi *Caſpar Hoffmanni* ſententia in *Inſtitut. Libr. III. cap. 63. §. 2.* reperiunda: *Intemperantia*, inquit, *noſtra eſt in vena portæ dicebat Scherbius*, *& habet illa*, *non propria tantum excrementa*, *ſed & aliena*, *ſentina quippe totius corporis. Hanc melius non exhauriri, quam per hæmorrhoides internas, quæ ſunt a vena dicta, credo equidem adfirmantibus: ſed tum tantum, cum natura ipſa aperit. In hirudinibus enim nulla mihi ſpes eſt.* His recte obſeruatis, vel penitus ceſſant, perfecte reſtaurata legitima ſecretione & excretione partium vitioſarum obtenta, vel in rite fluentes tranſitus fit, ſi in tantum illa ſucceſſerit.

§. XLV.

Diæta, tam in curandis quam præſeruandis, vt cauſis contraria & proportionata inſtituatur, neceſſe eſt. Vnde aeris temperies moderata, alimenta reſolubilia, minus duriora, & viſcidiora, nec acriora, nec flatulenta, vtilia ſunt, & quantitas eorum decens obſeruetur. Potus ſufficiens ſit, nec qualitate excedens, vinum præſentibus & dolentibus nocet, vt & motus, præſeruandi autem ſcopo ſufficiens ſalutaris eſt, quies nimia nocet, vt & ſomnus nimius, vigiliæ autem moderatæ, & ſomno rite interpolatæ, optimæ ſunt. Animi commotiones omnes vehementes infeſtæ ſunt, adeoque vitandæ. Excretiones proportionatæ ſeruandæ erunt, ne exceſſus vel defectus fiat, inprimis aluus ſiccior, & niſus in excernendo maior, præcaueri debet ſollicite.

SOLI DEO GLORIA!



Monſieur,

JE ne pouvois eſperer une occaſion plus favorable, que celle dont je joüis aujour d'hui, en Vous offrant les voeux de mon coeur, & Vous felicitant ſur votre heureuſe promotion. Vous avez travaillé ſans relache, & l'honneur doit à preſent avoir du raport aux ſoins, avec les quels Vous vous êtes apliqué jusqu'ici à l'étude de la medecine. Car il n'y a point de beauté ſans aide, ni de perfection, ſi l'art n'y met la main: un homme ne peut obtenir aucun bien ſans peine, particuliérement s'il n'a autant de conſtance & de fermété que la renommée, qui nait de la vertu, & gagne à force d'induſtrie ſurpaſſe les bornes de notre vie, va dans le monde par les extremités de l'aplaudiſſement, c'eſt le moyen de parvenir au plus haut degré de l'honneur, de la fortune, & cette qualité rend les hommes immortels. Certainement c'eſt un terrible ſoin, que pluſieurs perſonnes employent tout leur tems ſeulement pour avancer dans la fortune, & que quelques uns éſtiment plus une once de fortune, que deux livres de merite, de ſageſſe, & qu'au ſentiment de pluſieurs celle-ci tienne le premier rang. Mais le ſage examinant ce que c'eſt que la fortune, voit tout d'abord qu'elle n'eſt qu'une inconſtante, comme la femme, même folle & badine, comme la jeuneſſe, & que l'homme, le lieu, le tems, & les autres circonſtances la changent, il s'agit de ſavoir en uſer, mais non pas de s'y fier entierement: au contraire en regardant les autres motifs, touchant la reputation, & les jugemens des autres gens de merite, il éleve le deſir de l'homme à une gloire legitime, & ſe perſuade,

que quiconque n'éſtime point l'honneur, n'éſtime nullement la vertu, par ce que celle-ci nous montre la maniere de vivre, par la quelle nous pouvons y aſpirer.

Les études confirment tout cela ſuffiſament, ſur tout la medecine; lorsque les jeunes gens ſe mettent à l'apprendre, ils ont pour but de conſerver la ſanté, & de guerir les malades par les principes de la nature, qu'ils apprennent, & appliquent après cela aux pauvres affligez, non par la fortune, mais par la méditation, par l'induſtrie, & par le ſoin; qui leur donnent à l'avenir beaucoup d'honneur, les rendent immortels & heureux.

Ainſi, Monſieur, je loüe le deſſein, que Vous avez formé de ſonger à un établiſſement ſolide, d'employer les dons de votre bel éſprit à un bon uſage, & de ceuillir par la nouvelle dignité, dont la Faculté medecine vient de Vous honorer en ce jour, les fruits, qui en vaillent la peine. Tout ce que je puis c'eſt d'adreſſer mes voeux à Dieu, & de le prier inceſſamment, de prolonger vos jours, & de faire tous ſes éfforts pour Vous mettre en état d'accomplir avec ſuccès l'oppinion, que la patrie a conceuë de votre capacité, afin que par-la Vous puiſſiez être transporté au comble des honneurs, de la renominée, & de la fortune avec toutes les ſatisfactions, qui peuvent contenter vos deſirs, & Vous rendre auſſi heureux, que je ſuis parfaitement.

Monſieur,

de Jene,
le 31me Mars,
1732.

Votre très humble ſerviteur

Jean Chriſtophle Tannenberger,
Docteur en Medecine.

Dat

DAt Galenus opes, dat & is Galenus honores,
Sed præcedit opes laurus & amplus honos.
En! iam DIELERVM redimitum tempora lauro
Insignem famam sponte sequentur opes.

Hæcce in tesseram intemeratæ amicitiæ, cum voto omnigenæ felicitatis adponere voluit

IO. MARTINVS GANZ, Th. St. Schwickersh.

TAndem supremi conscendis culmen honoris
Tu DIELERE, sciens herbarum, artisque medendi.
Doctus circumdat Phoebus Tua tempora lauro,
Gratulor ipse Tibi, cedant vt prospera quæuis
Perpolitum ingeniumque, catenatique labores
Præmia (vera loquor) tibimet permagna parabunt.
Dignus es, officio qui perfungaris amico.
Det Deus, ægrotis semper sis dulce leuamen,
Seruet Te incolumem, saluumque ad Nestoris annos,
Tuque Tuis, patriæ prosis per tempora multa.
Atque recorderis semper scribentis amici
Hæcce Tui, sincerus amor ne desinat vnquam.

Hoc, quicquid est, Cl. Dn. Doctorando, Amico honoratissimo dilectissimoque in memoriam sui gratulabundus apponere voluit, debuit

IO. DAVID SITTIG, Th. St. Hasso - Smalkaldensis.

PLus: quam *chare* tuas cupiebam ſcribere laudes,
Cum mediis hæſi verſibus ipſe meis.
Ne pergas, clamat Phoebus, nunc eſſe MEDENTEM
Sit ſatius, quam Iſtum, me renuente, cani.

Proſpera quæcunque DIELERO meo æſtumatiſſimo adprecans hæcce adpoſuit

IO. ANDREAS SCHEFERVS, Th. C.
Saliſunda-Francus.

GEehrter Freund!

Du zeigſt die blinde güldne Ader
Nach iedem Umſtand uns gelehrt in deiner Schrifft.
GOtt ſey bey deren Cur dein Helffer, dein Berather,
Und mache, daß allzeit mein heiſſer Wunſch eintrifft,
Der in ſich hält: Daß dir der güldnen Ader Plagen
In Zukunfft vieles Gold und Gülden mögen tragen.

Dieſes wolte, ſeiner Schuldigkeit gemäß, hinzuſetzen

Tobias Friederich Müller, M. C.
aus Jüchsheim in Francken.

